)(I.)(

In Dei Filio ſibi dilectis univerſis Ad. RR. PP. Prioribus Provincialibus, Vicariis Generalibus, Magiſtris, Lectoribus, ceteriſque Patribus, ac Fratribus Clericis Ord. FF. Prædicatorum

FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR, EJUSDEMQUE UNIVERSI ORDINIS HUMILIS MAGISTER GENERALIS, ET SERVUS

Salutem, & Thomiſticæ doctrinæ cultum.

PErlatum ad Nos rumore quodam primum, tum ſermone aliquorum eſt, nonnullos noſtrorum hominum inveniri, qui Angelici Magiſtri S. Thomæ Aquinatis doctrinam non ſatis cognitam habentes, atque adeo minoris facientes, quam pro ſumma ejus præſtantia, ac dignitate deceat, ab ea diſcedere auderent, & opiniones aut plane novas, aut certe a priſca, perpetuaque Thomiſticæ inſtitutionis ratione alienas ſectati, eas probarent, jactarent, neque id ſolum, ſed etiam auditoribus ſuis nonnumquam confidenter traderent. Etſi vero neque his rumoribus, ſermonibuſque tam facile credendum arbitremur; &, ſiqui etiam noſtrorum fortaſſe ſint tali modo inſtituti, eorum certe numerum neque per ſe magnum, & pro tanta Ordinis, Scholæque amplitudine exiguum eſſe neceſſe ſit: res tamen eſt ejuſmodi, in qua non modo periculo ſit præveniendum, ſed vel ſuſpicio periculi diligentiſſime removenda. Agitur enim ſumma Ordinis dignitas, Thomiſticæ diſciplinæ conſtanti profeſſione veriſſime parta, quæ ut privati cujuſquam levitate, & inſcitia minui videatur, ferri nullo modo poteſt: agitur etiam ipſius Ordinis ſalus, quæ in doctrinæ ſanctitate, & conſenſione conſiſtit: aguntur denique publicæ Eccleſiæ rationes, quarum cauſſa Pontifices Maximi mirifico conſenſu S. Thomæ doctrinam ſummis

Digitized by Google

ſemper laudibus ornandam, & auctoritate tuendam, atque ab injuriis vindicandam putaverunt.

Atque his de cauſſis maiores noſtri in Comitiis legem de ea doctrina colenda, ſancteque retinenda tam ſæpe tulerunt, ut vix fere alia res ulla fuiſſe videatur, de qua tantopere laborarint. Jam uſque ab anno MCCLXXVIII. qui annus ab exceſſu Sanctiſſimi Præceptoris quartus fuit, ex Comitiis Mediolanenſibus miſſos in Angliam fuiſſe conſtat quæſitores de contemta ab nonnullis S. Thomæ doctrina, datis ſevere in contemtores animadvertendi mandatis. Proximo autem anno Pariſiis res ipſa perpetua lege ſancita eſt; tum anno MCCLXXXVI. Comitiis item Pariſienſibus *admonitione XII.* conſtitutum fuit, ut ſi quis umquam noſtrum aliquid contra Thomæ ſententiam affirmare eſſet auſus, pœnas luere cogeretur, & docendi munere privaretur, neque ei deinceps docere, niſi univerſi Ordinis Magiſtri, aut Comitiorum decreto, liceret. Quæ lex conſequenti tempore & creberrime repetita, ut anno MCCCIX. Cæſarauguſtæ *ordinatione II.*, ut anno MCCCXIII. Metis *ordinat. VIII.* quo tempore nondum Thomæ religioſos honores Eccleſia decreverat: ut Ciſtarici *ordinat. II.* anno MCCCXXIX. hoc eſt anno poſt illius nomen Sanctorum virorum faſtis adſcriptum ſexto: & quum Eccleſiæ in eum pietas, ac religio majorem in modum continenter amplificaretur, eadem lex novis pœnarum acceſſionibus confirmata eſt. Itaque Avenione anno MDLXI. *confirmatione V.* decretum fuit, ut S. Thomæ dogmatum deſertoribus quivis gradus honoris in perpetuum adimeretur. Rurſum Pariſiis anno MDCXI. *ordinat. VI.* pœna *gravioris culpæ* eſt indicta. Denique Bononiæ anno MDCXV. capite, quod *pro reformatione Studiorum* inſcribitur, *privatio* etiam *activæ*, *& paſſivæ vocis* adjecta eſt. Ac leges hæ omnes, pœnæque legibus iiſdem decretæ, conſequentibus porro, fereque perpetuis Comitiis ſunt renovatæ.

Sed quoniam aut ignoratio harum legum, aut certe ſpes impunitatis alere jam fertur nonnullorum temeritatem: has dare litteras conſtituimus, quibus non modo earum legum memoriam revocaremus, ſed vobis etiam univerſis ſignificaremus, certum omnino Nobis, planeque deliberatum eſſe eaſdem leges tueri vigilantia, & ſeveritate, atque in hanc maxime rem contendere omnes nervos auctoritatis noſtræ.

Ita

Itaque colligentes nunc uno loco ea, quæ diverſis temporibus, variiſque Comitiis ſapientiſſime a Patribus decreta, & proviſa ſunt, hoc primum jubemus, atque interdicimus, ne quiſquam omnino homo noſtri Ordinis, quocumque ſit loco, aut dignitate, audeat ſive privatim, ſive publice tueri, aut probare ſententiam ullam ab S. Thomæ doctrina, ſenſuque alienam, aut quæ cum eadem doctrina non omnino conſentiat. Quod etſi univerſim de quocumque quæſtionum genere præſcriptum accipi velimus, imprimiſque de theologicis rebus; diſtincte tamen, ac plane peculiari ratione de iis præcipimus, quæ ſunt *de divina gratia*, adeoque *de ſcientia, & voluntate Dei, de prædeſtinatione*, deque ceteris controverſiis, quæ cum quæſtionibus *de gratia* nexæ, colligatæque ſunt, quæque Thomiſticæ Scholæ veluti ſummam continent, ex perpetuo Eccleſiæ ſenſu, atque ex veterum Patrum, imprimiſque ex S. Auguſtini doctrina conflatam; ab Angelico quidem Præceptore præclare explicatam, & conſtitutam; a majoribus autem noſtris ſemper ſine ulla ſtudii intermiſſione retentam, & opportuniſſimis temporibus egregie propugnatam.

Atqui mentem, ſenſumque S. Thomæ non eum quidem dicimus, quem ſuo quiſque arbitratu, ac judicio ſtatuat; qua ratione nonnullos eo eſſe progreſſos videmus, ut quum adverſas, repugnanteſque S. Thomæ doctrinæ opiniones induxerint, eo nihilominus auctore gloriari pergant: ſed eum dicimus, qui communi Thomiſtarum, imprimiſque noſtrorum, ſententia ex S. Doctoris verbis, ſerieque, & colligatione doctrinæ concluſus, atque expreſſus eſt.

Qua ex re ſequitur, ut in iiſdem controverſiis *de gratia* noſtrum ſingulis non modo vis, & efficacitas *gratiæ* omnino nativa, atque, ut appellari conſuevit, *ab intrinſeco*; verum etiam explicandæ rei ratio illa tenenda, & propugnanda ſit, quæ ex *phyſica præmotione* ducitur. Neque id ita majores decrerunt, neque vero ita nunc ipſi jubemus, quaſi rationes alias a doctis, Catholiciſque viris, iiſdemque ab *efficaci* item *ab intrinſeco gratia* ſtantibus defenſas notare velimus; quas contra carpi a noſtrorum quoquam non patiemur, quum nullo ſint Eccleſiæ judicio improbatæ: ſed fungimur officio noſtro, ut maneat conſtanter in Ordine ea doctrinæ deſcriptio, quam ab Angelico Magiſtro, eodemque fideliſſimo imprimis Auguſtini

(*a*) diſcipulo, acceptam majores noſtri diligentiſſime, integerrimaque fide coluerunt, cujuſque præſidio ita in rei difficillimæ tractatione verſati ſunt, ut & rei ſummam egregie defenderint, & quamlibet ſuſpicionem erroris non modo ratione, ſed etiam Eccleſiæ publico judicio repulerint.

Jamvero ut in diſputationibus *de divina gratia*; ita in explicanda morum diſciplina, quod alterum eſt potiſſimum caput Thomiſticæ Scholæ, ſingularem ab noſtris fidem exigimus, exquiſitumque ſtudium S. Thomæ doctrinæ: ut, quoniam pars hæc Theologiæ omnem agendæ vitæ rationem continet, ex qua ſalus ſempiterna animorum pendet, ad quam ex inſtituto Ordinis partim Sacrorum, imprimiſque pœnitentiæ, adminiſtratione, partim concionibus, partim tradenda doctrina, & conſiliis expediendis mortales reliquos dirigere, & informare debent, habeant muneris tam difficilis, tamque gravis tuto, ac præclare exſequendi expeditam facultatem. Non enim ferendum eſt, ut, quum habeant divino beneficio domi, quem ſequantur, moralis ſcientiæ Magiſtrum *divinæ voluntatis interpretem*, doctrinamque ejus, quam teneant, *ſanam*, *incorruptam*, *tutam*, *& ſine ullo prorſus errore conſcriptam*, quam *poſſint inoffenſo pede decurrere* (*b*), hanc temere deſerant, & committant ſua culpa, ut cum ſua ipſorum, aliorumque pernicie in alterutram fortaſſe partem imprudentes declinent, ut aut chriſtianam vivendi ſeveritatem ab Evangelica, & Eccleſiaſtica inſtitutione revocent ad conſuetudinis libertatem, licentiamque ſentiendi; aut immoderata præceptorum acerbitate homines a cultu virtutis abſterreant. Atque huic quidem graviſſimæ rei majores noſtri ut ſemper ſua ſponte ſingulari cura, ita anno MDCLVI. voluntate etiam Alexandri VII. P.M. conſuluerunt; qui Pontifex, quum haberentur Romæ eo anno Comitia noſtri Ordinis, Patribus in mandatis dedit, ut in Actis Comitiorum legem de ea re rurſus (*c*) ſcriberent, utque ab iis, qui in Or-

(*a*) Vide teſtimonia Pontificum Maxx. *in Bullar. Ord. Præd. tom.* VIII. *tract. de conſenſu Bullar. tit.* VI. *quæſt.* II. Urbani V. *num.* VI. *pag.* 280. Alexandri VII. *num.* XX. *pag.* 285. Innocentii XII. *num.* XXIV. *pag.* 286. Benedicti XIII. *num.* XXVIII. *pag.* 287. Clementis XII. *num.* XXXVIII. *pag.* 291.

(*b*) *Ibid. quæſt. indic. per tot. imprimiſque num.* XI. *pag.* 282. teſtimonium Pii V. *num.* XVI. *& ſeq. pag.* 284. Clementis VIII., *num.* XX. *pag.* 285. Alexandri VII., *num.* XXXVII. *pag.* 290. Clementis XII. BENEDICTI autem XIV. locum vide *in Actis Capit. Gener. O.P. Romæ anno* 1756. *habiti Denunc.* XII. *pag.* 48.

(*c*) *In Actis eorumdem Comitiorum Admonit.* XIV.

in Ordine maxime idonei exiſtimarentur, libros de moribus *ex ſeveriori, & tuta S. Thomæ doctrina* (a) componendos, vulgandoſque curarent.

Quod ſi erit nihilominus inventus aliquis, qui contra facere, aut omnino loqui non vereatur, ei jam ab hoc tempore pœnas omnes denunciamus legibus, quas ſupra commemoravimus, ſancitas; eumque propterea continuo de quibuslibet ſive muneribus, ſive honorum gradibus in perpetuum dejectum, omni ſpe reſtitutionis, omnique in poſterum tempus cujuslibet in Ordine muneris, aut honoris capeſſendi facultate prorſus ademta; & *activa*, ac *paſſiva voce* privatum; iiſque pœnis obnoxium, quæ *graviori culpæ* lege ſunt conſtitutæ, edicimus, ac pronunciamus; idque ita, ut his pœnis, nonniſi univerſi Ordinis Magiſtri, aut Comitiorum auctoritate, abſolvi poſſit.

His autem mandatis, hiſque caſtigationibus non eos ſolum, qui domi vivunt, & Scholas Ordinis tenent; verum illos quoque perſtringimus, qui foris verſantur, & in Seminariis, Univerſitatibus, aut Gymnaſiis quibuslibet munus docendi gerunt. Ac reminiſcantur hi quidem, non ſua ipſorum cauſſa omnino, ſed propter Thomiſticæ diſciplinæ exiſtimationem ſe potiſſimum ab Epiſcopis, viriſque Principibus Scholis fuiſſe præfectos; neque vero Magiſtros Ordinis poteſtatem illis feciſſe ſuſcipiendi muneris, ut deſererent, ſi vellent, S. Thomæ doctrinam, ſed ut cum Reipublicæ utilitate, & cum laude Ordinis propagarent, numquam facturos, ſi munere abuſuros putaſſent.

Ne vero quis aliqua ejuſmodi ſpe ducatur, fore, ut clam ſit, ſi deliquerit; eorum, qui primas in Scholis Ordinis obtinent, ſive Regentum, ſive Lectorum Primariorum, ſive alio quovis nomine appellentur, partes eſſe decernimus, ſi quis in hac re quid deliquerit, ad Nos per litteras continuo, diſtincteque deferre: quod ſi ipſi Scholarum primi peccarint, delationem ad eos pertinere, qui eis fuerint loco proximi: quiſquis autem hoc deferendi officium præterierit, eum non ſolum dejiciemus de munere, quod Nobis non fuerit dicto audiens; ſed præterea caſtigabimus graviter propter peccati tacitam

con-

(a) Vide Definitoris Toloſani eorumdem Comitiorum Epiſtolam, quæ edita eſt ab Julio Mercoro Initio fere *Baſis totius Theol. Moral. edit. Mantuæ an.* 1658. Confer Proſperum Fagnanum *in libr.* 1. *Decretal. de Conſtit. c. Ne innitaris num.* 334. *tom.* 1. *pag.* 70. *edit. Venet. an.* 1696., & Natalem Alexandrum *in Præfat. Theol. Dogmat. & Moral.* &c.

conſenſionem. Prioribus quoque Provincialibus mandamus, itemque Congregationum Vicariis, ut in obeundis Provinciarum ſuarum, Congregationumve Cœnobiis in hanc rem peculiari ſtudio inquirant, tamque in eos, qui foris, quam qui domi docent; & quæ inquirendo repererint, Nobiſcum communicent. Denique ſic univerſim prædicimus, ac pollicemur; nullam Nos vigilantiæ partem prætermiſſuros, quin quæ agantur, & quemadmodum res procedat, fiamus quam diligentiſſime certiores; deque iis potiſſimum & locis, & hominibus attentius inquiſituros, de quibus fuerit injecta ſuſpicio, aut in quos viſa fuerit facilius poſſe cadere; cognitos autem, judicatoſque ſic tractaturos, ut eorum pœna reliquis exemplo, magnoque, ac perſpicuo certiſſimæ voluntatis noſtræ indicio eſſe poſſit.

Verum quamquam conſtitutum eſt Nobis leges, quarum Nobis cuſtodia una cum Ordinis regimine commiſſa eſt, impune violari numquam pati: optamus tamen vehementer, ut apud cariſſimos filios noſtros plus ratio valeat, quam pœnæ metus; & paterna benevola hortatio, filiorum obſequio, præoccupet, tollatque omnes cauſſas adhibendæ animadverſionis. Pro hac igitur benevolentia, lenitateque animi noſtra; ſimul ut non modo pauci illi, ſiqui fortaſſe fuerint, qui levitate, atque imperitia deſeruerint officium ſuum, jam ratione adducti redeant ad bonam mentem, ſed & confirmentur reliqui omnes in ſententia, & fide: hortamur etiam atque etiam univerſos vos, Fratres, ut reputetis diligenter vobiſcum ipſi, cujus modi doctrina vobis ſit ad ſequendum propoſita, eademque quantum ſemper exiſtimatione, atque utilitate creverit. Non enim ignoratis, S. Thomam ingenii facultate natura, atque exercitatione excellentem, & incredibili præditum memoriæ vi, legendi autem, meditandique perpetua aſſiduitate uſum, ex certiſſimis fontibus, hoc eſt ex Sacris Scripturis, ex Pontificum, & Conciliorum decretis, exque Patrum operibus diſciplinam univerſam hauſiſſe, quam via, & ordine luculentiſſime tradidit; & difficillimos quoſque ad percipiendum locos divinitus potiſſimum illuſtratum expediviſſe. Atque Eccleſia quidem, cujus judicio Doctorum auctoritas æſtimanda eſt, non ſolum, quæ ab eo ſunt ſcripta, magnifice prædicavit, & Chriſtianis hominibus ſingulari ſtudio commendavit; verum ipſa quoque plurimum ſemper ejus auctoritati tribuit. Et quum illuſtria teſtimonia

monia Pontificum Maximorum, & Synodorum OEcumenicarum exempla ſint magno numero, memoriam imprimis repetite Tridentini Concilii; quo in Concilio decreta pleraque de Religione ſic fuerunt condita, non ut ſententiis modo ex libris Sancti Thomæ depromtis, ſed ut ipſius fere verbis ſæpe Canones contexerentur; quum ad eum quidem Patres *tamquam ad lydium lapidem, ſiquid ambiguitatis, aut controverſiæ fuiſſet exortum, communibus votis referendum exiſtimarent* (*a*); eorumque *nemo eſſe videretur, cui religio non eſſet, quum de Fidei dogmatibus ageretur, a Thomæ ſententia vel latum unguem recedere, aut ab illa provocare* (*b*). Porro autem vos quoque ipſos reſpicite, & cujus Ordinis alumni ſitis, quibuſque majoribus ſucceſſeritis, conſiderate. Vivitis enim in eo Ordine, cui Deus Opt. Max. ſingulari providentiæ conſilio ad communem Eccleſiæ utilitatem tantum Magiſtrum dediſſe exiſtimatur; vivitis autem poſt eos patres, qui retinendæ, tuendæ, ac propagandæ S. Thomæ doctrinæ conſtantia, fide, ſtudio & maxima commoda in Rempublicam intulerunt, & ipſi Ordini eam, quam obtinet, gloriæ laudem perpetua ejuſdem doctrinæ conſenſione pepererunt, effeceruntque, ut, quum multi in omni memoria Thomiſticæ diſciplinæ cultores fuerint, & ſint continenter plurimi, propria tamen ſemper laus hæc fuerit Prædicatorum.

Agite igitur, dilectiſſimi, quando via eſt vobis conſtituta, qua in rebus graviſſimis tuto verſemini, vobiſmetipſis etiam atque etiam gratulamini; & Angelici Magiſtri doctrinam, quæ ſolidam veſtram gloriam continet, amate, & colite. Huic date operam aſſiduam, ac diligentem, ut poſſitis vim, & pondus ſententiarum comprehendere animo; ne, quod nonnullis uſuvenit, ſi ſuperficiem veluti tantum doctrinæ attigeritis, nihil hæreat, & levitate animi ex rerum ignoratione profecta, a præclariſſimis inſtitutis cæco impetu, tamquam tempeſtate delati, divellamini. Quæ præcepta ſi tenueritis, habebunt profecto in vobis, ut ſemper in veſtris majoribus habuerunt, Eccleſia quidem idoneos adminiſtros, fideles autem alumnos Ordo, verique nominis diſcipulos S. Thomas.

Nos

(*a*) Joannes Gallius in Oratione ad Patres Concilii Tridentini anno 1563. habita, quæ extat *in Collect. Concilior. Labbei tom.* xx. *col.* 835. *ſeqq. edit. Venet.*

(*b*) Hieronymus Vielmius, qui Concilio Tridentino Epiſcopus Argolicenſis interfuit, *lib.* 1. *de D. Thomæ Aquinatis doctrina, & ſcriptis, pag.* 395. *edit. Venet. an.* 1575.

Nos denique parati animo exſequi rebus ipſis, quum opus fuerit, quæ nunc præcipiendo, hortandoque perſequuti ſumus; ut nullus cuiquam excuſandi locus relinquatur, mandamus Provinciarum, Congregationumque noſtrarum omnium Præſidibus, ut, quum litteras has noſtras acceperint, earum ſingula exempla ad Præſides ſingulorum Cœnobiorum mittant; Præſidibus autem ipſis Cœnobiorum jubemus, ut acceptum exemplum quamprimum ad menſam publice recitari faciant, ac deinceps porro quotannis initio quidem Scholaſtici anni quibus in Cœnobiis ſunt Scholæ; in quibus vero nullæ ſunt, infra octavam S. Thomæ: quod ſi prætermiſerint, aut neglexerint, ſciant ſe ab officio abſolutos fore. Eos autem, qui in externis Scholis verſantur, neque in Cœnobiis degunt, a Provinciarum, Congregationumve Præſidibus, quorum in ditione ſunt, de his noſtris litteris certiores fieri volumus.

Valete, dilectiſſimi, & Nos, Socioſque noſtros Sacrificiis, & precationibus veſtris commendatos habete.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſupra Minervam die XXX. Aprilis anno MDCCLVII.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors
Magiſter Ordinis.

Reg. pag.

Fr.

Digitized by Google